



1. Bock / Friderici Samuelis / Diss. De Notione
Immensitatis Dei amplificanda Co
n
templatione magnitudinis Mundi.
Regiomonti 1766. Autor G. C. Rerhard.
2. Bede / Christophorus Augustus / Protevan,
gelium Genesios Cap: III Vers: XV. Helm,
stadij 1763.
3. Boehmer / D. philip Adolph: / programma, de
Christo filio Domini, Halle 1765.
4. ————— programma, addita est illustratio
addita est: illustratio Loci 1 Corinth: XV, vers, 51,
Halle 1766.
5. ————— programma in Commentationem ad
illustrationem Actuum Apostolorum, 1766.
6. Buchner / D. Andreæ Elie: / programma in
diem natalem Christi, Halle 1768.
7. Carrach / Joh: Tob: / programma paracliti
Appellatione Spiritui Sancto tributa,
Halle 1764.

DISPUTATIO THEOLOGICA
REBAPTIZATOS FVISSE
 DE
QVIBVS AGITVR ACT. XVIII, V.
 CONFIRMANS

QVAM
 SVB PRAESIDIO
 VIRI SVMMÆ REVERENDI, EXCELLENTISSIMI,
 AMPLISSIMI ATQVE DOCTISSIMI,
IOANNIS SALOMONIS SEMLERI

S. S. THEOL. DOCTORIS ET PROF. PVBL. ORDINARIJ,
 SEMINARIJ THEOLOGICI DIRECTORIS,
 REGIORVM ET HALBERSTADIENSIVM ALVMNORVM EPHORI,

PRAECEPTORIS AC PATRONI

AETERNA PIETATE COLENDI.

DIE . MART. A. R. S. MDCCCCLXIX.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

AUCTOR
IOANNES FRIEDERICVS BARTHOLD
 BEROLINAS.

HALAE MAGDEBVRGICAE
 EXCVDEBAT IOANNES CHRISTIANVS HENDEL.

Bl. zu Je 2593

DISPUTATIO THEOLOGICA
REBAPTIZATORUM EVANGELIUM

QUAE AGITUR ACT. XVIII. V.

AVR. PRAESIDIUM
VNI. SVMMI. PATRIAE. EXCELSISSIMO.
KAROLVS. ALBRECHTUS. DOCTOR.
IOHANNIS. SALOMONIS. SEMELERII

AV
PRAECEPTORIS AC PATRONI

IOHANNES. ERICHVS. BARTHOLDI
MELONIUS

HABER. KUNDE. VERLAG
BREMEN. HANNOVER. MÜNCHEN. WÜRZBURG.



VIRIS
SVMME REVERENDIS, AMPLISSIMIS,
DOCTISSIMIS
POTENTISSIMO PORVSSORVM REGI A CONSILIIIS
IN SVPREMO RERVM ECCLESIASTICARVM SYNEDRIO
DOMINIS
CHRISTIANO FRIDERICO
SADEWASSER
FRIDERICIVERDAE INSPECTORI ET PASTORI PRIMARIO
GYMNASII FRIDERICIANI EPHORO

IOHANNI IOACHIMO SPALDING
PRAEPOSITO INSPECTORI ET PASTORI PRIMARIO
AD AEDES D. NICOLAO ET BEATAE MARIAE VIRGINI SACRAS
LEVCOPHAEI BEROLINENSIS EPHORO

D. GVILIELMO ABRAHAMO
TELLER
COLONIENSIVM AD SPREAM HVIVSQVE DIOECESEOS PRAEPOSITO
ET INSPECTORI AD AEDEM S. PETRI PASTORI PRIMARIO
DIRECTORI ELEEMOSYNARVM COMMISSARIO

PATRONIS SVIS VENERANDIS

NEC NON
VIRIS MAXIME REVERENDIS, DOCTISSIMIS
DOMINIS
CHRISTIANO FRIEDERICO
WILCKENS

COTTBUSIENSIVM INSPECTORI ET PASTORI PRIMARIO
ADFINI SVO SPECTATISSIMO

FRIEDERICO IACOBO ROLOFF

PASTORI AD AEDEM HIERSOLYMITARVM
ET QVAE NOVA BEROLINI APELLATVR VIGILANTISSIMO
COGNATO SVO HONORATISSIMO

ATQVE

VIRO

EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO, DOCTISSIMO

DOMINO

CHRISTIANO LVDOVICO ROLOFF

MEDICINAE DOCTORI CELEBERRIMO
ACADEMIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS SODALI
COGNATO SVO HONORATISSIMO

HANC DISSERTATIONEM

D. D. D.

IOANNES FRIEDERICVS BARTHOLD.



PRAEFATIO.



Fuit illud semper non leue profecto vitium multorum interpretum, de quo doctissimi viri facilius conquesti sunt, quod, quum ad librorum sacrorum interpretationem studium animumque inclinarent, vbi liberaliter operam dare ius fas erat: suae maxime sectae vbique soleant decreta, atque non raro praeceptas opiniones, inuenire; imo, quae ipsi cogitatione semel finxerant, quibuscunque in locis deprehendere: itaque non efferre sensum, vt dicit solet, verum inferre potius videantur. Quod quidem interpretandi genus, nobis certe arbitris, minime *ἐξηγητικὸν* nomen mereri debebat; nec enim explicari hoc modo scriptura sacra; sed de his illis rebus suo quisque modo philosophari, videtur. Sed, quum copiosius excutere haec talia nobis iam non

fit animus: hoc vnum tantum non praetermittendum aestimauimus; quod, quae hic generatim dicta sunt, summo iure possint de variis illis illustrationibus, quibus celeberrimus locus noster argumentum dedit, adfirmari. Misere se namque torserunt interpretes in tractatione huius loci, atque varias inuenere expositiones; non tam propter internas difficultates; sed hoc magis veriti, vt nonnulli ipsi profiterentur, ne ab aliis inde alius prorsus doctrinae rationes desumerentur; & ne alia forte labefactarentur, quae de baptisinate Ioannis communis fere temporum recentiorum consensus comprobauerat. Huius autem generis sententiae etsi non sine consilio ingenuo prolatae fuerunt a maioribus nostris: tamen non tantum valere apud nos debet eorum auctoritas, summisque viris debita reuerentia, vt ea iam magis amemus ipsi atque studiosius sequamur, quorum illos auctores habemus; licet nostris temporibus rectius iam a nobis quaedam perspicere possint. Veritas, non quia apud hunc illum, siue in secta aliqua inuenitur; sed per se ita est semperque esse debet sancta atque amabilis. Quam quidem regulam optimam nos quoque sequuti sumus in hac loci nostri interpretatione, cuius argumentum breuibus iam enarrabimus. Duas vero partes habet nostra dissertatio: quarum altera est hermeneutico-dogmatica: complectitur enim primum paraphrasin latinam huius loci: deinde refutationem alterius sententiae & denique dogmaticam collationem: altera vero *historica*, enumerat scriptorum ecclesiasticorum, et ante seculum 16. & inde ad nostrum vsque tempus, sententias.



PARS I.

HERMENEVTICO - DOGMATICA.

§. I.

Paraphrasis pericopes Act. XVIII, I-V.

1. Accidit autem, cum Apollus Corinthi adhuc degeret, vt Paullus, peragratis tractibus Asiae minoris superioribus, redierit Ephesum; ibi, cum doctorem ipse agens incidisset in quosdam discipulos ^(a): (a Iudaismo vsitato non minus alienos, quam a christianismi integritate): 2. Interrogauit eos: Vos, quos intelligo operam dare aliis ad religionem meliorem informandis, num spiritum sanctum ^(b) accepistis, manuum impositione ab Apostolo quodam; posteaquam a Iudaismo secessistis & alii doctrinae credidistis? Illi vero responderunt ei: nos ne de eo quidem audiuimus, quod locum hoc tempore rursus habeat spiritus sanctus & noua eius dona ^(c). 3. Ex iis ergo porro quaesuit Paullus: quamnam vero professi estis doctrinam, tum, cum baptismum & fidei formulam acciperetis? Hic nihil aliud respondere poterant, quam hoc: edidimus eam professionem, quam *Ioannes* solebat posce-

A 3

re

(a) Hos discipulos, *Ioannis* quidem tantum, i. e. imperfectiori doctrina instructos, vt *Apollus* c. 18, 25. hanc *Ioannis* doctrinam etiam ad alios tradidisse: facile patet ex tota narratione atque ex interrogatione a *Paullo* proposita. Atque saepius illi tantum *μαθηται* vocantur, qui acceptam doctrinam cum aliis communicant. Apostoli ipsi hoc nomine sunt insigniti; quorum hoc in aliis ministerium certe in dubium vocari non potest. Quare mirum profecto videri non potest, quid *Paulus* illos discipulos percontatus sit de spiritu sancto; vero tunc ministrum christiani documento.

(b) In hoc ad vnum fere omnes conueniunt interpretes N. T., *πνευμα αγιον* hic, & saepe, nihil aliud significare, nisi *dona* doctorum *miraculosa*, *τις δητα*, vsitata in christiana ecclesiae primordiis. Quare huius rei longius repetita probatione tum ex contextu, tum ex locis parallelis (nimirum Act. 1, 8. c. 2, 38. c. 10, 44. seqq. c. 8, 15-19. 1 Cor. 12. Marc. 16, 17.) non opus esse existimauimus.

(c) Omissum hic esse *δοξαι* atque vsitaram esse Hebraeis participii ellipsin, pluribus illustrauit *Beza* h. l. & post eum alii. Phrasen enim *ruach haccodesch* ex veteris testam. vsu satis nota erat.

re (d); ab eo enim sumus baptizati. 4. Tunc vero Paullus accuratius illis noui muneris, quo christiani doctores rite funguntur, rationem explicauit; dixitque: *Ioannes* suo tempore homines iussit aliam in deum mentem induere, atque, quotiqueque id sponderent, baptismo impertito a Iudaeis quasi seiunxit, in meliorem societatem adscitos: atque (quod adinet ad alia nouae societatis adiumenta) simul etiam hos omnes admonuit, ut omnino fidem haberent eis (e), quaecunque alia ille ipse praeceptorum & iussurus esset, qui post ipsum (Ioannem) paullo post doctoris prouinciam publice suscepturus esset; nempe Iesus Christus. 5. At illi his auditis iam baptismum ipsi nouum acceperunt nomine Iesu, domini nostri; atque hoc modo publice eius locupletiore doctrinam amplexi sunt.

§. II.

Cum maxima difficultas oriri videatur ex versu V. interpretatione, atque maximus sit de hoc loco dissensus theologorum: quae sint illa, quae plerumque & maxime disputari solent, iam videamus. Ex quibus certe patebit, nostram, quam sequuti sumus, interpretandi rationem, argumentis paulo post non leuioris momenti confirmandam, iure suo aliis praeferrere debere. *Primum* vero plerique fere omnes, qui versum V. continuatam Lucae narrationem esse negant, sed Pauli orationem faciunt: innituntur particulis, *μεν* v. 4. & *δε* v. 5. Sed 1) maxime adhuc dubia est particula *μεν*; si quidem *non existat in codice alex. cantabr.* (etiam lati-

(d) In hoc significato etiam occurrit *βαπτισμῶν* c. 18, 25. atque occupat eam doctrinam, quam Ioannes solebat aduersus corruptum Iudaismum prodere; quae tamen doctrina haud paulo minus complectebatur, quam *τα πνεῦμα τοῦ κυρίου*, si *ἀνεβας* exponantur; quae inter maxime pertinet, Iesum Christum *spiritum sanctum* & promississe & dedisse doctoribus post ipsum, Apostolis; atque hos similiter noua hac auctoritate dei alios exornasse, ut ingenue & liberaliter religionis indolem omnem exponderent. Haec satis clare ex capite 18. patent: atque his carere non possumus hoc loco.

(e) *Fidem haberent*; forte clarius; ut luculenter obsequerentur iis cunctis, quae Iesus plura alia & promittere, spondere, & praecipere atque instituire uoluerit. *Πνευσμῶν* enim ad utrumque refertur; ad promissiones & praecepta.

latino) *tribus* aliis apud *Wetstenium*; *plurimis*, vt *Millius* scribit; atque in *vulgata* & *copta*. Et recte eam abesse, statuit *Millius* & *Bengelius*. Aduersus hos igitur iudices haec ratio nihil valet. 2) Si vel maxime certo adesset: tamen nihil inde vlllo modo effici posset (*f*). Quoties enim in scriptore nostro particula *μεν* otiosa occurrit; vel, si placet elegantiae causa; sine sequenti *δε* e. c. Luc. I. Actor. I, I. c. 17, 30. aliisque locis plurimis? Deinde hanc breuissimam Lucae narrationem non complecti totam orationem, quam Paullus habuit; sed illius tantum momenta praecipua, quis est, qui dubitet? Quod vero 3) ad secundum membrum a commate V. adtinet: saepissime eodem ordine procedit narratio Lucae; sine antecedente *μεν*: vbi nullo modo in dubium potest vocari, esse illa Lucae ipsius, qui narrat, verba. Iam vero 4) quod putamus esse praecipui momenti, fautores huius expositionis sibi *sumunt id*, de quo tamen est controuersia. Quaeritur: vtrum *baptizari in nomen domini Iesu*, sit descriptio talis, qua Paullus ipse adfirmet, baptisina Ioannis fuisse omnino idem, ac baptisina in nomen Christi? Nos negamus, auctoritate *Lucae* ipsius c. 18, 25. vt iam antea (nota *d*) notabamus.

§. III.

Sed ista paulo copiosius exponemus. Ad alterum enim iam accedimus argumentum, petitum ex Paulli oratione; scilicet hanc esse Paulli sententiam existimant, qua Ioannem iam *in Iesu Christi, nomine* homines *baptizasse*, adfirmet: quia populo dixerit, vt crederent in eum, qui venturus sit, (nempe in Christum Iesum). Quo vero iure, quibus rationibus dici potest Ioannem baptizauisse homines in Christum Iesum, seu, *qui est Iesus*? siue Paullum hoc loco nostro id factum confirmasse: quum & in toto N. T. & a Paulo ipso Ioannis baptisina vocetur *βαπτισμα μετανοιας*; Ioannes vero *ε βαπτιστης* declarat apud Matthaeum c. 3, II. se baptizare *εν ιδου εις μετανοιαν*; non autem *εις χριστον Ιησου*, seu *in nomen Christi*, qui est Iesus? Atque hoc Lucas refert de Ioanne

(*f*) Id iam Hier. Zanchius, Stapleton, Boissus alique monuerunt.

in suo Euangelio c. 3, 3. eum praedicasse baptismum *resipiscentiae* atque simul *in remissionem peccatorum* (praeteritorum); neque plura loca hanc in rem desunt e. c. Act. I, 5. c. II, 16. cet. Quum igitur & hic & alibi Ioannis baptismum, semper adpelletur βαπτισμα μετανοιας; atque nusquam in tota historia Ioannis legamus, quod homines ad baptismum ipsius accedentes professi iam iam hanc fuerint fidem, in (indivium, in hunc) *Jesum*, Messiam, (de quo Ioannes ipse adhuc dubitabat:) Sequitur, neque Ioannem *in Christi nomen*, seu, Iesu Christi ipsius auctoritate & nomine usum, baptizasse, suoque iam tempore huius Iesu discipulos facere potuisse; aliter non *Iobannis* discipuli dicerentur; neque hoc sua oratione Paullum hic repetere voluisse.

Sed promissimus haec paulo copiosius explicare. Ioannes praedicavit, *poenitentia* opus esse seria; sic *promittere deum* per ipsum, Ioannem, *praeteritorum peccatorum veniam* locum iam habere apud istos baptizatos; nec eos immersum iri supplicii diuinis publicis; manent interea Iudaei, id est, observant discrimen ciborum, circumcisionem &c.; absunt autem a peccandi designata consuetudine. *Exspectant* iam Christum; professi, lubenter eius se omnia cetera praecepta atque instituta *observaturos*, hoc est, *πιστευσω* in Christum; si doctor ille publice adpareat. Hic audemus statuere: Ioannem *alia formula baptismi* non fuisse usum, quam hanc in sententiam, (non in haec verba): profiteor, si adpareat Christus, eius me praecepta cuncta observaturum; abstinebo a peccandi ista consuetudine, de turpi illo Iudaismo convictus. Involuebatur fides in *deum*, qui Ioannem huic provinciae praefecerat; sed clarior formula Iudaeis, qui a deorum multitudo aberant, opus non erat. Itaque & postea legimus: Iudaeos baptizatos esse, in *Jesum* hunc, Christum. *Baptismi* ista nostra formula, sic concepta est, *ad gentes* praecipue: *εις παντα τα εθνη*. Docet igitur Paullus, hos duodecim Ioannis discipulos: imperfectius adhuc fuisse pro temporum ratione baptismum Ioannis; neque adeo sufficiens, ut *ipsius* Christi, qui iam alia addidit, disci-

discipuli eiusque doctrinae idonei ministri esse possint: fuisse tantum baptismum aquae & poenitentiae, atque signum remissionis peccatorum, qua opus erat; sed *idov vs uveg* non exposuit copiosius. Quare etiam Ioannes, inquit, baptizans monuit populum, ut Christi, si publice adparuerit, doctrinam amplecterentur, sua longe perfectiorem: quam, ut eo lubentius acciperent, ille praeparauit Iudaeorum animos; namque erat vox clamantis in deserto: Complanate ac facilem reddite viam domini. Illi vero Paulli admonitioni, quae institutum Ioannis explicabat, morem statim gerentes: facile ipsi consentiunt; quia intelligunt, hoc iam baptismi ordine, quem ipsi Christus postea instituit, testibus tot Apostolis, ipsis nunc opus esse; ut in hanc Christi societatem, ex Iohannis disciplina, transirent. *Baptizantur* itaque in nomen *Iesu huius*; & profitentur, diligentissime se *Iesu Christi* hanc doctrinam, non vero tantum illam *Ioannis*, porro ad alios propagaturos; si & ipsi *spiritum sanctum*, & ministerii apostolici auctoritatem a Paulo accipiant.

§. IV.

Iam vero *Beza*, (quem alii etiam plures sequuntur,) hoc loco incertam interpretandi rationem sequi, sibi que ipse contradicere videtur; qui quidem recte, *in nomen Christi baptizari*, (g) iudicat significare, se Christo (h) per baptismum dicare & consecrare, eiusque doctrinam complecti; atque idem ille tamen *Beza* Paulum vult adprobasse baptismum Ioannis, *ut vere Christianum*; quod quidem qua ratione statuere potuerit, non satis intelligo: nisi quod ei *baptizari* cetera notio (i), quae sensum locum vnicuique inuenit, obstitisse viderur. Quae religio, etsi est recentissima,

(nam

(g) De hac formula vid. *Calmeri* peculiarem dissertationem *actibus* praemissam.

(h) *Chamier* in panstratia tom. 4. de baptismo l. 5. c. 12. *Bezam* eximie laudat, quod *primus* viderit, non esse Lucae sed Pauli narrationem; alii vero *Marnixio* tribuunt; vid. *Heumannum*.

(i) Adde: *huic Iesu, domino*, auctori nouae societatis, quae a societate Iohannis diuisa esset, eamque inuolueret & tolleret.

(nam inde a cunctis seculis neminem impediuit, nec *Lutherum*, *Melanchthonem*, *Wigandum*, aliosque seculi 16. eruditos & probos viros, etsi postea quidam sententiam mutauerunt;) postea multos interpretes huius loci sic impediuit: vt hunc locum in aliam partem torquere maluerint, quam committere, vt quasi derimenti aliquid inferretur theologiae nostrae. Tanti est, nostrae aetatis lucem atque ei debitum obsequium transferre in secula ista a nobis remotissima. Nempe, *prauam sententiam & mentem suam mutarunt* omnes a Ioanne baptizati; sed non iisdem spatiis intelligendi iam vsi fuerunt, quibus nos vti possumus. *Per gradus succreuit* christiana doctrina, quam Iohannes nondum perfectam docuit; itaque nec de *baptismo* statim eadem notio locum habuit; sicut ipse Christus de discipulis dicit: multa habeo vobis dicere; sed ferre non potestis; at hi haud dubie baptizati fuerant, ex baptisimi autem idea, minus integra, nondum deriuabant ea, quae nos recte quidem coniungimus, licet fas non sit historiam per ratiocinia impugnare. Sed de his iam plura.

§. V.

Sunt enim eius generis alia adhuc momenta, quae hanc sententiam sequentes in medium proferre solent: quae quidem cum *celeberrimus* etiam *Carpxonius*, ^(k) *Theologus Helmsfadiensis*, repetierit: hic locum suum inuenient. Namque optime vidit *Vir S. V.* ingeniosè potius, quam propter iustas rationes hermeneuticas actum esse ab interpretibus recentioribus, qui verba *εικοταρες δε* cet. ad *Pauli continuatam orationem*; non ad *Lucae* narrationem referenda existimauerint. Quare *Ipse* nouam & inuisitam adhuc inuenit interpretationem; hoc maxime, vt videtur, veritus, ne imminuatur forsitan vis baptismatis Ioannei. Cum vero argumenta illa, quibus vsus est *Vir S. V.* duo potissimum genera constituere videantur: primum illa enarrabimus, quae & aliis sunt communia, contra vetustissimam & nostram interpretationem.

(k) In programmate, quod prodit Helmsfadii 1768. cui titulus: Acta Pauli cum Ephehis duodecim; siue expositio literalis historiae Actuum Apost. 18, 1—7.

tionem: deinde vero, quae sint nouae *Ipsius* interpretationis rationes, videbimus.

§. VI.

Prioris generis fere haec sunt. Adfirmatur nempe 1) baptismi *repetiti* exemplum non exstare in tota apostolica ecclesia & in omni N. T. Nos audemus contrarium (1) statuer. Si vero hoc vel maxime verum esset: quae tandem inde consequi possent; si de eo dubitandum iudicaremus, quod semel tantum inueniretur in sacro codice? Neque id quidem effici potest; neminem deinde fuisse rebaptizatum, Ioannis iam baptismate imbutum. Scimus enim totam fere Iudaeam fuisse baptizatam a Ioanne: his autem collatis illis locis, quae Act. 2, 38. c. 4, 4. seqq. continentur: omnino adfirmari potest, omnes, qui iam in nouam societatem Christianam sunt adsciti, sine vlllo discrimine, Apostolos, nouo suo ipsorum ministerio aut mandato, baptizandos iudicauisse. Aliter mansissent *diuersae* societates, Ioannis illa & Apostolorum. 2) Baptisma igitur sic iteratum, *vel frustra; vel non praecipiente* Christo; *vel plane ad vituperationem* baptismi Ioannis, repetitum fuisse. Sed minime *frustra* baptizati sunt iterum, qui pro temporis illa conditione, antequam de *indiudivuo* constare poterat, nondum in nomen Iesu Christi erant baptizati, & ad eius copiosorem doctrinam obligati, itaque nec iurium huius societatis apostolicae participes facti erant. Aliter dicendum: *frustra* circumcisionis sacramento vsos, quia nunc baptizabantur. Monuimus iam, nondum *παραν την αληθειαν* per Ioannem potuisse manifestari. *Opus autem erat*, homines a peccati consuetudine seiungi, & ad religionem iudaica meliorem, praeparari. Deinde neque etiam dici potest, *non ita praecipiente* Christo id factum. Nam, vt

B 2

ma-

(1) Exemplum *rei* ex historia tam *non* potuit patribus tot numero ignotum fuisse, qui Haeticorum baptismum repetierunt; quam *paedobaptismi*, cuius, quidquid aliis placeat, nos dicimus, in N. T. & prioribus seculis non exstare narratum exemplum. *Omnes parres*, vt videbimus, seculorum omnium, *nobiscum sentiunt*; ergo iis profecto *exempla rei* non ignota fuerant. Aliter inde ab initio inualuisset *unica illa interpretatio*, quam *Vir S. Vener.* confirmatum ibat.

maxime *mandatum* tale non legimus, multa tamen Christus mandauit, quae Apostoli porro obseruarunt; sed & *implicitè* mandasse dici potest; qui finem vult, vult etiam adiumenta. Christus *paedobaptismum* non mandauit; nec *sexum alterum* baptizari & sacrae caenae interesse mandauit; Apostoli tamen vtrumque obseruarunt. Denique hoc non *ad vituperationem* (iniustam scilicet,) *Ioannei* baptismi factum esse dici potest. Abrogatio enim rei, pro temporis ratione adhuc imperfectae, non est eiusdem vituperatio. *Ioannes* sciuit ipse, minorem tantum ipsi sortem a deo tributam, *me oportet minui, illum vero crescere*; quae quidem sententia maxime ad hanc rem pertinet. Porro equis est, qui dicat, factum esse ad vituperationem legis mosaicae ac caeremoniarum Iudaicarum, (quae etiam diuinam prae se ferebant auctoritatem,) quod Christus ^(m) longe ab his alienam oeconomiam inierit? *Ioannis* doctrina similiter se habet, collata ad *την αληθειαν* & Christi perfectiora instituta, ac lex & disciplina Iudaeorum, Veteri Testamento contenta. Vtraque a deo deriuabat originem; tamen locum fecit Christo, *πληρουσι τα παντα*. 3) Baptismum in illum venturum statim, esse illum baptismum in Iesum Nazarenum, atque hoc etiam exponi versu 4to, *τουτ' εστιν εις τον Χριστον Ιησουν*. Vbi vero vel vnus locus exstat, quo *Ioannis* baptismus vocetur baptismus in nomen Christi? Hoc vero loco, vt iam supra diximus, non dicitur a Paulo *Ioannes* baptizauisse in Christum; sed admonuisse populum; vt crederent in eum, qui publice appareret; scil. *si iam nominandus est*, Christum Iesum. Quorsum tandem discrimen illud inter *discipulos Ioannei* & *Christi*, quod vbique in N. T. inuenimus? Si est idem *baptismus*, discrimen baptizatorum nullum fuit; sed fuit discrimen vtrorumque discipulorum; fuit ergo & discrimen baptismi. 4) *Ioannis* baptismum tunc non posse tueri vim suam caelestem. Omnino quidem habuit suam vim, nec enim omnino negabimus, licet de illa re nobis minus constet; non vero habuit aequalem & eandem, ac

Chri-

(m) *Sacramentum circumcissionis*, agni paschalis, per baptismum & sacram coenam non vituperantur, sed loco mouentur.

Christi baptismus; ut ipse *Ioannes* praedixit: Christum baptizatum *spiritu sancto*. Illo enim modo praeparati sunt animi Iudaeorum, ut eo libentius Christum eiusque meliorem informationem acciperent, eique se noua simili caerimonia dicarent, ex omni Iudaismo exituri; non vero iam illo eodem gradu & cognitionis & operationis internae aucti fuerunt. Iure ergo abrogatus est *Iohannis* baptismus, cessitque & doctrinae & baptismi perfectiori.

§. VII.

Quod denique ad nouum illum attinet modum, quem (reiecta *Bezae*, *Drusii* ⁽ⁿ⁾) aliorumque ista interpretatione, quae *Paulli* verba esse occupabat) sequutus est *Vir S. V.* in huius loci tractatione; ita hic quidem se haber, ut exempla illa, quibus illustrari debebat, minime huic rei conuenire videantur. Erenim ita comparata sunt, ut forte in stilo logico alicubi recte se habeant; non vero in stilo historico soleat ea consuetudo valere: quum eiusmodi descriptionem facti alicuius neque in *Luca* neque in alio inueniamus scriptore historico; vel sacro vel profano. Atque profecto & contra usum loquendi & omnes regulas narrandi peccaret talis loquutio & interpretatio. *Lucae* scilicet haec verba sunt, ut *Vir Vener.* bene intellexit; narraturus est, quid factum & gestum sit, per *Paullum*, ratione horum discipulorum. Igitur res, quae facta est, aut sub sensu cadebat, aut minus; ad utramque diuersam rem diuersa narrandi ratio accommodanda erat. Sed *εβαπτισθησαν* semper significat rem externam, passi sunt baptizari se; *Lucas* igitur hanc voluit describere. Qui vero hunc sensum narrationis *Lucae* adfirmat: Haec *Paulli* verba, quum isti audiissent, agnouerunt, didicerunt, se baptizatos olim fuisse (eo consilio) a *Ioanne*, ut fidem, quam in futurum Messiam habebant, in *Iesum* iam transferrent: idem ille negare non potest, 1) redire quaestionem, an in societatem *Iesu, Nazareni*, aliquis ex *Iohannis* discipulis sic adscisci potuerit, ut nouo baptismate

B 3

opus

(n) *Jani Drusii* quaestionum & responsonum liber; quaestio 83. pag. 56. edit. 1583. 8. Lugdun.

opus non fuerit; atque tum demum, baptizatos se olim hoc omnia fuisse intellexerunt, explicari potest: 2) sic actum esse aliquid cum his viris a *Ioanne*; illis ipsis adhuc ignorantibus & inficiis (o).

§. VIII.

Restat: si quis forte sit; qui haec desideret, vt in eorum (p) breuiter inquiramus interpretationem, qui versu 5. agi existimant de baptisinate ignis seu spiritus, de quo Christus Act. 1. & *Ioannes* ὁ βαπτιστης Matth. 3. mentionem fecerunt; quod vero subiicit *Lucas*: καὶ ἐπιθευτος αυτοῖς cet. esse ἐπεξηγησιν praecedentis membri. Verum haec interpretatio & contra totum consensum huius narrationis peccat; namque omnino ex eo adparer, recenseri hic a *Luca* facta quaedam diuersa; & contra omnem historiam primitiuae ecclesiae Christianae, vbi inter τοῦ βαπτισματος εἰς Χριστον & τῆς τῶν χειρῶν ἐπιθεσεως, qua spiritus s. impertiebatur, ritus solemnes, maximum discrimen intererat. Atque istius sententiae haec erant fere momenta praecipua; ex quibus intelligi potest: esse operae pretium, vt haec omnia requirantur adcuratius; vnde, quae maxime valeant in vtramque partem, perspicere facile possis. Repetamus iam ea, quae nostram praecipue causam commendant; quam nostris argumentis, vt optima nobis visa sunt, porro confirmabimus.

§. IX.

Res maxime hic redit ad *Paulli* interrogationem: εἰ πνευμα ἁγιον ἐλάβετε; Nihil vero aliud hoc loco significare potest πνευμα ἁγιον, nisi dona quaedam visibilia (q) miraculosa; seu auctoritatem nouam, qua opus erat cunctis sacri inter Christianos caeteros muneris ministris; adeo arctissime cum symbolis externis qui-

(o) Fuerunt quidam, e. c. *Eulogius*, *Zanchius*, & post eum *Boisus*, qui statunt: intellexisse discipulos, se non recte baptizatos fuisse; itaque iusto huic baptisinati consentisse; & sic non tam rebaptizatos, quam nunc demum recte tinctos fuisse. Sed tunc explicatio multum abit ab ista, & non seruat significationem verbi passiu.

(p) Nominandi hic sunt praecipue *Brentius*, *Loffius*, *Daniel Arcularius*, *Cananus Lenaenus* &c.

(q) quae sub sensus & oculos cadebant, obseruato illorum symbolo; sic fere *Graeci* interpretantur; recte. vid. *Camerar.*

quibusdam coniunctam, ut nemo in prima ecclesia officio publico praefectus, his donis, eorumque symbolis, saltim vno vel altero, caruerit; quod facile patet ex locis parallelis. Tempore autem Ioannis, quis est, qui putet, iam locum fuisse Christianorum, qua Iudaeis & Hellefi opponebatur, societati sacrae publicae? namque illa a nouis a Christo institutis baptismi caenaeque sacrae caerimoniis, suum habuit initium; atque ab Apostolis propagata est post acceptum ab ipso Christo spiritus S. symbolum; atque sic demum Christi doctrinam inter Iudaeos & gentes omnes propagarunt. Quod, ut eo facilius fieri posset: Apostoli in alios etiam conferre poterant ista dona & iura spiritualia, per symbolum ἐπιθεσεως χειρων, a quibus postea ministrorum christianarum societatum singularium iusta pendebat auctoritas. Ioannes vero baptista non potuit obligare homines, ut iam obsequerentur cunctis doctrinis, quae demum a spiritu illo sancto prodendae aliisque commendandae erant doctoribus, per manuum impositionem, ab Apostolis; quorum in numerum Iohannes ipse non fuit adscitus. Itaque Paullus ipse hos rogat: Num hic vel ibi a quodam Apostolo in societatem muneris & ministerii sacri adsciti estis, quia videmini alios docere de Christo?

§. X.

Ioannis igitur discipuli separatam adhuc faciebant inter Iudaeos societatem, nouamque quasi sectam constituere videbantur. Longe quidem ab ante acta vita alienam instituebant viuendi rationem; namque in signum regenerationis, cum vitae nouae sponse acceperant baptismum: sed adhuc, ut ceteri Iudaei, legis scita seruabant; quorum tamen nulla inter Christianos esse debebat auctoritas; utebantur precum alia formula, sed non illa *dominica*; nec sacrae coenae caerimoniam obseruabant. Magnum ergo adhuc erat discrimen inter discipulos Christi, & istos Ioannis, qui neque de illis rebus post Christi mortem inter eius Apostolos gestis; neque de noua illa oeconomia, quam Paulus praecipue ornabat, quidquam audiuerant; atque multo minus iam villo modo

modo obligati esse his rebus omnibus obseruandis poterant. Quare necesse erat, vt nouo illo baptisinate, a Domino nostro Iesu Christo, eum in sinem instituto, tingerentur; et Christo sic subiecti, qui post mortem resurrexerat & spiritum S. diuiserat Apostolis, quibus omnes alii subiecti erant christiani. Cum enim Apostoli plenam a Christo accepissent auctoritatem, ita, vt eorum instituta & noua praecepta, tamquam Christi deiq; ipsius, spiritu S. auctore, veneranda essent: illi etiam discipuli Ioannis, noua erga Iesum Christum obligatione suscepta, hic iam simul Apostolis in vna societate subiiciebantur.

§. XI.

Noui igitur baptisimi haec fuit ratio. Ignorabant omnino praecipuas partes historiae Christi (r), quae ad nouum illum salutis ordinem maxime erant necessariae; quaeque neminem fugere debebant, qui Christianae doctrinae particeps & Christi discipulus vellet vocari. Ignorabant praeterea instituta illa noua omnia, quae post Christi resurrectionem initium suum habuere. Neque sciebant fieri, vt (loco auctoritatis, quae a Mose & V. T. reperenda Iudaeo doctori fuerat) immediate regerentur a Spiritu S. Apostoli; atque ab illis tantum conferri posse publicam docendi auctoritatem. Quare his omnibus erudiendi erant; atque tum demum solemniter haec profitentes, baptizandi. Res itaque similiter habet, vt, ex Iure Canonico veteri, rursus baptizabantur, qui falsam aut dubiam doctrinam per baptismum, seu symbolum acceperant, e. g. *Sabelliani*, *samosateniani*, *Manichaei*, cet. Namque hoc cum illis commune habuit baptisima Ioannis, vt similiter ac illorum, non esset ille ipse baptisimus, quem Christus instituerat; alia fidei formula enim adhibenda erat.

§. XII.

(r) Praecipue hoc huc pertinet, quod in *Palaestina* hos diu versatos fuisse, non sciamus. Forte, iam ante Christi publicam prouinciam & mortem, exierant in graecas prouincias. Itaque pleraque omnia ignorabant των πνευματικων, quae vel in ipsis Apostolis demum post Christi mortem locum habuerunt. *Baptisimum* Christianorum, qui fiebat εις τον θανάτου Christi, Rom. 6, ignorabat & Iohannes & eius discipuli.

§. XII.

Ceterum, quod plerique tamen metuebant, nihil inde periculi oriri ad locum dogmaticum potest; licet probe sciamus, patrocinium etiam inde quondam petitum fuisse ab Anabaptistis. Iam vero, quod ad nos Christianos attinet, nullibi datur baptismus cum falso aut dubio fidei Christianae symbolo. Omnia, in omnium baptismatis caerimonia, quod ad rem adinet, Christi institutionibus conueniunt. Obligantur enim, qui baptismate iam imbuuntur, ad id, ut Christum dominum suum, doctrinamque ipsius, non tam verbis stans, quam omni vitae modo prae se ferant; vsitatur etiam formula a Christo praescripta: in nomen patris, filii & Spiritus S. Quod cum summam rei constituat: nullo iure, nulla auctoritate, baptizarentur iterum, semel in christiana ecclesia legitime baptizati. Non enim baptismatis symbolo cuiusdam placitis, vel sectae alicui deuouentur homines; sed soli deo, patri, filio & spiritui sancto; atque doctrinae illi, cuius auctor existit dominus noster, cuiusque beneficia in aeternam etiam vitam extenduntur. *Eundem* igitur baptismum repetunt *Anabaptistae*, quia caerimoniae plus, quam decet, tribuunt, si in iis adultis ea peragatur, qui iam in minori aetate per baptismum societati christianae addicti fuerant.

PARS II.

HISTORICA.

§. XIII.

Recensēbimus, ut in ea breuitate nostra licet, inde a prioribus seculis, interpretationis & doctrinae, quae ad istum locum pertinet, historiam; saltim e posterioribus scriptoribus; omnes enim nobis non sunt ad manus; nec ingens numerus similiter interpretantium ad causam nostram facit, si de eo constat: fuisse constantem eam sententiam doctorum plerorumque sub utroque sole.

C

Diui-

Diuidimus autem temporis interuallum, & e prioribus seculis vsque ad 16. repetimus interpretationis exempla; & haec quidem primo loco e graecis scriptoribus colligimus.

Si *Clementinae* scriptiones istae auctoritate non carerent, primo loco nominanda erat *Homilia Clementis* Romani, 2. Num. 23, quae de *Iohanne*, Hemerobaptista, προσω Christi, narrat; sic, vt Apostolis tribuatur perfectio. Similiter paruae auctoritatis est locus ille, inter *Iustino* falso tributas quaest. & respons. ad orthodox. num. 37. Cum *Iohannis baptismus* non fuerit κατά νομον, quomodo non fuit παρα νομον &c. respondetur, *baptismus Iohannis* προσμιον ην Euangelii gratiae, υπερ τον νομον ην, in quo contigit per μετανοιαν & πισιν consequi peccatorum remissionem. Subobscore & *Clemens* alex. stromat. V. p. 573. ex edit. Colon. 1688; de hoc Iohanne scribit: non enim se dignum esse fatetur, την (a) ποσατην βαπτισαι δυναμιν, tanta cum virtute & facultate se baptizare, χρινοι γαρ τας καθαροποιοντας απολυειν τε σωματος, και των τετε αμαρτηματων την ψυχην &c. se scil. non pollere ista virtute; spiritus s. vi & operatione opus esse, quam Christo post se venturo tribuit. *Origenes* Homilia XXIV. in Lucam, tomo 3. edit. de la Rue, pag. 961. vis causam scire, cur populus Iohannem, qui minor est Christo, suscepit, cognosce: *Iohannis baptisma videbatur*, Christi baptismus inuisibilis erat – ille vos baptizabit spiritu sancto & igne. Hic satis clarum est discrimen vtriusque baptismatis. *Gregor.* Nazianzenus, orat. 39. in sancta lumina: baptizauit *Iohannes*, non iam illo Iudaico more; (non enim in aqua solum, sed etiam ad poenitentiam,) επω δε όλον πνευματικως, nec enim addit, in spiritu. Baptizat quoque Iesus, sed in spiritu, τστο η τελειοτης. Liceat huic addere e *Nicetae* commentario, pag. 1034. tomo 2. operum *Nazianzeni*: quocirca Ioh. baptisma, puerilis cuiusdam institutionis vice erat; Christi autem baptismus perfectionem afferebat &c. Sed ad luculentiora properamus. Si *Montfauconium* audimus, in editione operum *Abbasii*

(a) scil. κατά την ποσατην.

nassi alex. volumine 2. opusculum de trinitate & spiritu s. est ex Abbanasi graeco; in illo pag. 977. clare exstat: de his vero, qui Ephesi a Paulo baptizati sunt, Act. 19, 5 &c. Cyrillus, alexandr. in Iohannem, c. 3, 24. aliud vtilissimum struit euangelista, sciens magno vsui fore, το διαγωναι σαφως ποσην εχει την υπεροχην, η και οσους υπερκειται μετροις, baptisina Christi, prae isto Iohannis — κατασημαινων, ως ταυτον μεν εκ εστι baptisina Iohannis baptisinati Christi, πλησιον δ' ομως — quemadmodum lex mosaica vmbra[m] habere dicitur futurorum bonorum, non αυτην την εικονα των πραγματων, est enim το γραμμα προγυμνασμα τι και προκατηχησις της εν πνευματι λατρειας· ετω νοησεις και το εις μετανοιαν βαπτισμα. Hoc satis clarum est testimonium, per baptismum Iohannis non eadem ipsa illa bona conferri, quam per baptismum Christi. Chrysostomus tomo operum Montfauc. II. in homilia de baptisino Christi, pag. 370 seqq. Iohannis baptisina iudaico longe sublimius fuit, humilius vero nostro — quia nec spiritum s. dabat, nec remissionem peccatorum per gratiam — baptismum Iohannis imperfectum fuisse, inde constat, Actor. 19 — si enim non fuisset imperfectum, non eos rursus baptizasset Paullus &c. Eandem in sententiam Homilia XL. in actus epistolorum tomo 9. operum p. 304. Etiam Matthaei 3. Homil. X. remissionem peccatorum nondum habuit id baptisina; quia sacrificium nondum oblatum esset, nec spiritus descendisset; similia in Iohannem Homil. 17. alibi 16. &c. E Chrysostomo, vt solet, habet Theophylactus in acta, tomo 3. edit. Venerae 1758. fol. pag. 143, εδε γαρ εις χειρον επισειον, (recte omnino — nec enim indiuiduum notum fuerat isto tempore,) in alia recensione, p. 284, εδε τον Ιησυν επισαντο legitur, forte rectius. In Oecumenio, vt excusus est Parisiis 1630. tomo 1. pag. 143. exstat latina translatio quaedam ^(b), sine proprio textu graeco; sed insunt eadem sententiae.

C 2

Sed

(b) Est ex Ioh. Hentenio desumpta: enarrationes vetustissimorum theologorum in acta & epistolas canonicas; Paris. 1547. 8.

Sed redeundum nobis est in uerustiora tempora, e quibus per *Chrysofomi epitomatores Theophylactum* paululum abducti fuimus. Edidit *Zacagnius* inter collectanea monumentorum ueterum eccles. graecae & latinae, *Euthalii ενθεσιον* capitulorum actuum; pag. 435, cap. 28, de *baptismate* (scil. discipulorum) & spiritus s. dono per Pauli orationem ab his dato, qui Ephesi crediderant; igitur & hic de *iterato* Ephesi baptismo intellexit. *Nonnus* in paraphrasi graeca Iohannis, explicat *in aqua, απυροισι και απνευσισι λοστρεισ* — corpus baptizauit; uide *Heinsii* exercitatt. sacras, seu *Aristarchum* p. 100. edit. in 8. 1627.

Iob. Damasceni sententiam lib. 4. c. 10, orthod. fid. paucis describimus, (c) ne iusto plus excrescat haec scriptio. *Rudimentarius* fuit baptismus Iohannis; eos, qui baptizabantur, ad poenitentiam ducens, ut *Christi fidem postea amplecterentur*. E *Cyrillo* hoc desumptum addit *Montacutius*; qui et *Basilii* addidit locum, in exhortatione ad baptismum: Iohannes praedicauit baptismum poenitentiae, sed dominus baptismum *υιοθεσις*. Illud fuit *εισαγωγικον*, hoc *τελειωτικον*, *εκεινο αμαρτιας αναχωρησις, τατο οικειωσις προς θεον*. Idem *Nouatianorum* decretum, ex *Photii* bibliotheca, & *Eulogio* describit, pag. 388. Cum *Nouatiani* premerentur *Petri* exemplo, cui abnegatio remittebatur, per poenitentiam dicebant, ideo *Petro* contigisse, quia baptizatus fuerit *τοτε, ατελει τω βαπτισματι*. Respondet *Eulogius*: ad finem suum ille baptismus fuit *τελειος*; sed cum forma baptismi per Christum tradita fuit, *απεβη τοις χειρμενοις ατελης*. Fuisse autem baptismum Iohannis pro statu suo perfectum probat *Eulogius* 1) quod nulli apostolorum, Iohannis baptismum baptizati, legantur denuo rebaptizati. — *Apollos* non est rebaptizatus Christi baptismate — Reponit autem *Montacutius* recte: Hoc scire uelim, *πρ κειται* (ideo eos *Actor* 18, 26. rebaptizatos, qui baptizati fuerant post Christi adscensionem, cum iam Iohannis baptismum euauerat;) uti & illud alterum, quod *Apollos* Christi baptismate non rebaptizabatur.

Sed
(c) *Rich. Montacutii* *εξανθεωτικων*, seu originum ecclesiasticarum libri 2. pag. 386 seqq.

Sed pergamus iam nos. Si *Photii Amphibolichae* quaestiones iam excusae haberentur, quaestione 28. ille de discrimine baptismi Iohannis tractauit; ut ex catalogo quaestionum ^(d) scimus, sed *Wolffus* tomo ultimo *curarum* tantum edidit a quaest. 74-199, quas inter non nihil habetur, de hac causa, ut quaest. 148 inuenimus: Apostolos ante Christi passionem baptismum Iohannis accepisse; nec enim seruatur dat alium baptismum, ante pascha, ne Iohannis κηρυγμα solueret, nec daret occasionem aduersariis Iudaeis, ὅτι πρὸς ἵβειν Baptista τοῦ ἰδίου βαπτισμαῖ induxerit, ἀναπληρεῖ δὲ τοῦ λειποῦ - saluator igitur baptismum poenitentiae, καὶ εἰς ἀφεσιν ἁμαρτιῶν τελεμενον a Iohanne, ἐκ ἠθέτησεν, ἀλλὰ καὶ ἐτέλειωσε, προσθεῖς τῇ τῆ πνεύματος δωρεᾷ. Hic *Photius* non obscure suam sequitur potius opinionem, quam patrum auctoritatem, quod & alibi luculenter proficitur. Sed est eadem causa, quod dicit baptismum non abrogatum a Christo; ac si dicitur, legem a Christo non solutam sed πληρωθῆναι. Ex antiquioribus sua habere solet *Georgius*, *Syncellus*, qui baptismum Iohannis dicit ὑποβαθρον τῆ βαπτισματος κατὰ χριστον, ad annum mundi 5520. pag. 320. edit. Parisinae. *Leo*, imperat. *Homilia* 6, in Ioh. praecursorem, (tomo XV. edit. operum *Gretseri* Ratisbonae 1741. fol. p. 324.) eos, qui mundatione egebant, καθαιρεῖ λογῶ καὶ ὕδατι, - & factur, Christum βαπτισεῖν τελειῶς, ἐν πνεύματι.

Liceat iam *Catenas* graecas breuiter excerptere. In *Matthaeum* ediderunt *Corderius* & *Possinus*; ea in caput Matthaei 3, recitat *Eusebii*, (Caesariensis) ista: Ioh. baptismum non erat τελειῶν, nec a peccatis liberabat, sed ἑτοίμως ἐποίησεν Iudaeos, ad facile suscipiendum baptismum Christi. Hoc enim demum erat τοῦ ἐλευθερεῖν ἡμᾶς a peccato. *Theodori*, monachi: Ioh. baptismum & perfectum erat, secundum praescriptionem legis; & imperfectum, quia non dabat peccatorum remissionem. *Chrysostomi* ad v. 6. Ioh. baptismum ποιητικὸν μετανοίας, ἀλλ' ἔ καὶ ἀφεσεως ἁμαρτιῶν, ἀδηγη δὲ ad remissionem, ad Christi baptismum. *Athanasii* ad v. 11, ipse vos

C 3

(d) vid. bibliothec. *Coislin*, pag. 325. & catalogum *Mssorum Tauuinenisum* p. 112.

baptizabit in spiritu sancto, id significat: purgabit vos; quia baptisina Ioh. non poterat id praestare, *ἀλλὰ το τε χριςτς.* *Origenis* ad v. 14. Baptisina Ioh. poenitentiae erat, & *ὁδος ad το τε χριςτς τελειον βαπτισμα*, ceterum remissionem peccatorum non habebat. Eiusdem *Corderii* tomus in *Matthaeum* alter, catena 30. patrum. *Nicetae* in cap. 3. baptisina poenit. non remissionis; cum enim nondum sacrificium oblatum esset, nec Spiritus descendisset, nec peccatum solutum esset – quomodo futura erat remissio (e)? Catena in Iohannem per eundem *Corderium*, cap. 3, 22, *Ammonius*: baptisina euangelicum tradebat Christus, *quod multum erat a Iohannis baptisinate diuersum*. Catena *Petri Possini* in Marcum, pag. 10. Anonymi *Tolosani*: non est idem baptisina Iohannis cum baptisino Christi – qui enim susceperunt istud Iohannis baptisina, *ἐτοιμοι ἐγινοντο εις την τε ἁγιου βαπτισματος ὑποδοχην.* *Victorius*, antiocheni, pag. 15. Iohann. baptisinus *nostro imperfectior*, iudaico autem sublimior fuit – pag. 17. bapt. Ioh. non habuit remissionem peccatorum, nec Spiritum S. impertiebat; pag. 18. eadem breuius reperuntur, quae dicebantur *Victoris* antiochemi esse. Sed non licet nobis esse verbosioribus, itaque ista de graecorum disciplina suffecerint; potiora haud dubie, a quibus seriores Graeci vix vquam discesserint.

§. XIV.

Iam ad *Latinos* antiquiores scriptores pergimus; quorum in recensione eo magis nobis licet esse breuioribus, quia multorum iam sententiae solent a recentioribus scriptoribus inde a seculo 16. recenseri; e. c. ab *Hieronymo Zanchio*, tomo 5. operum pag. 574 seqq. in obseruationibus ad suam confessionem cap. 25. de baptisino, Aphorismo 6; *Romanos* autem plures scriptores diligenter patres excussisse mirum non est; e. c. *Cornel.* a Lapide &c.

Agmen ducit *Tertullianus* cap. X. de baptisino; negat baptisina Iohannis caeleste fuisse, quia spiritum S. & remissionem pec-

(e) ex *Chrysostomo* est, Homil. X. in Matthaeum, vt facile pater: non vero *Nicetae*.

peccatorum non dederit; — baptisimus poenitentiae agitabatur; *quasi candidatus remissionis* & sanctificationis in Christo *subsecuturas* — in remissionem peccatorum, in *futuram* remissionem enunciatum est &c. Copiosior enim est ista tractatio, quam nostra breuitas non patitur (*f*). Magistri disciplinam secutus est & *Cyprianus*, & plerique omnes *africani*; *Augustinus*, *Facundus*, *Hermianensis*; &c. huius quaedam excerpta sunt in *selectis capitibus* histor. ecclesiasticae, volum. i. pag. 451. Addimus pauca alia. *Hieronymus* in dialogo aduersus *Luciferianos*: Ioh. baptisma in tantum imperfectum fuit, ut constet *Christi baptisimate baptizatos*, qui ab eo fuerant baptizati. Ita enim historia refert, Actor. 19, — igitur & tu sequere apostolorum auctoritatem & *baptiza eos* (iterum,) qui Christi non habent baptisma (Arianos). Alia *Hieronymi* loca non desunt. *Augustinus* saepe de discrimine baptisimi Iohannis & Christi agit; *non nisi in spe* peccatorum remissionem tribuisse statuit; baptisma Iohannis ad Christi baptisimum nihil pertinuisse; aliis non suffecisse, licet Christo suffecerit. *Post baptismum* Ioh. baptizasse Paulum; vel vnum locum libro 5. contra *Donatistas* designamus, e. g. — *baptizatos* a Paulo legimus, Actor. 19, qui iam baptisimo Iohannis baptizati fuissent, non ob aliud, nisi quia Ioh. baptisimus non fuerit Christi baptisimus — si Ioh. baptisimo peccata dimittebantur, quid amplius praestari potuit per *baptisimum Christi* eis, quos apostolus Paulus, post baptismum Iohannis, *Christi baptisimo* voluit baptizari? Pluribus locis nostram in rem non opus est. Nemo iam mirabitur, *Gregor. M. Isidorum*, Hispal. *Alcuinum* (*g*), *Ionam*, aurelianensem; *synodum atrebatensem*, atque inde *Scholasticos*, longo ordine, idem semper statuisse. Illa synodus atrebatensis (*h*) seculi XI. istas sententias habet: *cum rebaptizatos omnes* a discipulis do-

mini

(*f*) Habet locum verbosum, *Montacutus* loc. iam citato, pag. 389. 390, qui & addit: *argute, solide & neruose*; esse communem omnium antiquorum sententiam.

(*g*) vid. selecta capita historiae eccles. Volum. 2. pag.

(*h*) ex *Dacherii* Spicilegio tom. 13. edit. primae recudi fecit *Harzbemius*, tomo 3. concil. Germaniae, pag. 68 seqq.

mini fuisse sciamus, quos *Iohannes baptista* baptizauerat: nullum tamen eorum, quem *Judas* baptizasset, iterato fonte ablutum reperimus. *Petrus, Lombardus*, verbosius egit, de discrimine baptismi *Iohannis*, sententiar. libro IV. distinct. 2. cap. 2. & cap. 3. de forma baptismi *Iohannis*; additio *Henrici de Vrmaria*: baptismus *Ioh.* non contulit gratiam; unde dicunt magistri, quod omnes baptizati a *Iohanne rebaptizati* erant; nota, baptismus *Iohannis* differt a baptismo *Christi*, in forma, in effectu, in fine, in mysterio; conuenit, in materia. Excitat porro *Petrus* loca *Hieronymi* aliquot, *Ambrosii* (de spiritu S.) Iam facile erat, longo ordine scholasticorum libros recensere; sed cum breuitati studendum sit: desinimus; magnus certe est plerorumque omnium consensus; unde & ad *Romanos* theologos constans illa sententia transiit.

§. XV.

Iam ad seculum XVI. peruentum est; breuissime istam historiam ab eo tempore repetemus. *Lutherus*, qui solebat *Augustinum* sequi, *Melanchthon*, *Matthaeus Iudex*, *Ioh. Wigandus*, alique plures, e nostris, similiter magnum discrimen vtriusque baptismi statuerunt; Actor. 19, similiter interpretati sunt, de *repetito baptismo*. *Zwinglius* de baptismo *doctrinae* intellexit; designauimus (i) in margine loca inde a *Luthero*; hic liceat disciplinae *Melanchthonis* aliquam historiam colligere. Prima locorum editio a. 1521. postquam pluribus egit, de discrimine vtriusque baptismi, statuit: oportuit iterum baptizari, qui *Iohannis* baptismi loti erant, quo certi essent, se iam consecutos esse remissionem peccatorum, quam obuenturam haecenus crediderant. — Atque ita rebaptizabantur, qui loti a *Iohanne* erant — . Eadem, per omnia verba, in editione 1524. (recogniti ab auctore). Sed in editionibus ab a. 1536; (*Augustae Vindel.*) multo breuius agitur, de baptismo *Iohannis* & apostolorum: ea fide pariter sanctificabantur & saluabantur baptizati tum a *Iohanne* tum ab apostolis.

(i) institutio ad liberalem erudit. theol. lib. 2. p. §1. 93, 132. de *Zwinglio*, p. 98.

folis. — non discernit ministeria vel caerimoniaſ, ſed perſonas miniſtrorum — illud externum miniſterium Ioh. & apoſtolorum ſimile eſt, & valet pariter in credentibus. Ceterum hoc verum eſt, poſt reſurrectionem Chriſti clariora teſtimonia habemus, quod detur ſpiritus S. — Hic nihil quicquam de eo, oportuiſſe rebaptizari. Eadem in edit. 1538. Wittebergae; in edit. 1541. in 4. Wittebergae; in translatione *Iuſti Ionae*, 1536. in 4. Inde porro alia ratione deſcripſit *Melanchthon* in edit. a. 1555. 8. — quod aliqui dicunt, tantum poenitentiam ſignificatam eſſe: non remiſſionem, eſt *abſurdum* &c. Sed iam pluribus hiſ operam dare non licet; facile patet, ob theologicaſ notionem & offenſionem, in aliam ſententiam *Melanchthonem* diſceſſiſſe.

Inter *Helueticos*, monuimus iam *Zwinglium* intellexiſſe Actor. 19, baptiſmum doctrinae; quam in rem videatur, quae aduerſus *Anabaptiſtas* ſcripſit copioſius, tomo operum — pag. — nec multum abiri ab eius ſententia *Brentius* ^(k), atque in proprium baptiſmum, ſpiritus S. *gratias viſibiles* intelligit etiam *Caluinus*, lib. 4. inſtitut. cap. 15. num. 18. Sic fere & *Daniel Arcularius*. Iam *Beza* ſuſceſſit in noua interpretandi prouincia, partim, quia *Anabaptiſtae* eo facilius videbantur refutari poſſe; partim, quia a *Romanis* theologis diſſentire plus laudis haberet, quam eos ſequi ^(l). Nam plures inde a *Zwinglio*, ratiocinationi ſimiliter dederunt operam, ac poſtea *Melanchthon* aliique fecerunt; ſed minime cunctis perſuaderi potuit iſta ſolertia & ſedulitas. e. c. *Wolfg. Muſculus* in locis theol. fol. 331 ſeq. mouet me *perſpicuitas verborum*, Actor. 19, vt ſtatuum, hiſ eſſe *baptizatos*; ſic & *Bucerus*, & maxime *Hier. Zanchius*, cuius operum tomum 8. iam excitauiſſimus, verboliſſime noſtram ſententiam defendit, quicquid alii ſtatuunt;

(k) In *Homiliis* in acta apoſtolorum Homil. 88. ergone ſunt *Anabaptiſtae*? abſit; quod enim dicitur, *baptizati ſunt in nomine Jeſu*, non de baptiſmo aquae, ſed de doctrina intelligendum eſt, & de baptiſmo ignis.

(l) Nam in concilio *euidentino* anathema iſis dictum, qui diſcrimen baptiſmi illud non tenerent.

ruant; nostram sententiam tenet etiam Conrad *Pellicanus*; similiter *Iob. Piscator* a Beza discessit, &c.

§. XVI.

Quod attinet ad istam contrariam sententiam, quae Bezae praecipue auctoritate ^(m) locum inuenit, *Chamierius* maxime inter reformatos eam tutatus est ⁽ⁿ⁾; qui & scripta suorum & pontificiorum potiora nominavit. Hic auctor magno conatu refutavit pontificios scriptores, & theologicas causas, quas potuit, excogitavit; qua docendi & scribendi ratione fatemur ad verae eruditionis profectum parum aut nihil accedere. E nostris, praeter *Cbennitium*, *Hutterus* ^(o) multum impendit operae, ut efficeret, baptismum Iohannis & Christi fuisse eundem; & Actor. 19, 5. esse verba Pauli. Inde mirum non est *dogmaticorum* scholas persequi eadem doctrina, qua & exegetici scriptores, commentatoresque imbui coeperunt; non opus est, longo ordine *dogmaticos* scriptores recenseri. Sufficit vel ad *Quensbedtii* theol. didact. polem. sect. 4. p. 125. seqq. ablegare, qui & alium modum interpretandi excogitavit, ut v. 5. sit *parentesis*, quam Lucas intericiat (erant autem illi audientes, a Iohanne hoc pacto baptizati) &c. Magno numero nostros recitavit *Prucknerus* in vindiciis biblicis; quibus plures addere, non videtur operae pretium. Iam praeter *Socinum*, *Wolzogenium*, *Grotium*, *Limborchium*, &c. etiam e nostris non pauci hanc sententiam praerulerunt, quam uos propugnamus; licet tanto conatu theologi dogmatica impedimenta conquississent; quorum nomina facile apud *Heumannum*, in notis ad h. l. colligi possunt; iis addendus praecipue *Bengelius* in *Gnomone*; *Reading*, in vita Iesu Christi &c. Sed multitudine & numero vincere nolumus. Liceat nobis *Sebastiani Castellionis*

^(m) *Bezae* interpretat. sequitur etiam *Carrwright* in *Confutation of the Rhemists translation* &c. 1618. fol. in locum Actorum; nec multum abit Francisc. *Iunius* in notis ad transl. Actuum ex *arabico* edit. 1578. quis credat hos viros de S. trinitate & persona spiritus S. non fuisse institutos a Iohanne? &c.

⁽ⁿ⁾ *Panstratae* tomo 4. de baptismo lib. 5, c. 12.

^(o) in locis theolog. Witteb. 1619. fol. p. 648.

nis (p) verba describere: non multa disputabo; tantum lectorem monebo, vt nihil praeiudicati afferens, totum locum Lucae legat; statim videbit tam apertam sententiam, vt mirerur, esse aliquem, qui dubitet. Et sane, qui tam apertos locos in controuersiam vocant, videntur non a sacris auctoribus velle doceri, sed potius sententiam suam in sacros auctores intrudere.

(p) defensio suarum translationum contra *Bezam*, ad Act. 19, 3. pag. 190.

F I N I S.



IOANNI FRIDERICO BARTHOLD

S. P. D.

IO. SALOM. SEMLER.

FINIS

*Vel breues istas litteras TIBI debeo, ut de eo constet, placuisse mihi istam tractationem TVAM, qua haud dubie fautoribus TVIS collatam in bona studia diligentiam satis probabis. Rem enim istam videris satis luculenter confecisse. Sunt vero ista omnino TVA, a me rerum paucarum, librum-que quorundam indicem habuisti; praeterea paucas mutavi sententias. Si breuitas ista talium scriptio-
rum patiebatur, plura addidissim; quae videntur alio consilio adhuc addenda esse, quod TV iam non sequebaris. e. c. Dare spiritum sanctum; adspectabili enim quodam symbolo et documento de ea re constabat, ut de malo seu impuro spiritu solebat ex quibusdam criteriis sententia ferri. Itaque facile intelligi poterat, loqui aliquem in spiritu sancto; seruarunt*
qui-

quidam rei quasi reliquias atque de *exsate* ideo fuit vetustiorum non parua quaestio, inde a Tertulliano. Similiter et de sacramentis videbatur accuratiori tandem disciplina opus esse nostrae aetati; quam in rem historia notionis, quae sacramenti esse varia solebat, multum conferre poterat. Sed iam vel me ipsum tam multa premunt et quasi coarctant, ut vix iis sufficiam, quae sunt magis necessaria, quam eius generis ad TVAM disputatiouem spicilegium.

TV iam id age, cum nec natura TE destituerit, nec diligentiae fructus ad TE nulli redierint, quos ex lectionibus et meis et aliorum collegisti: ut dei in liberalem et verum honorem, aliorumque ingenua et magna commoda, omnia studia TVA conferas, TEQUE ipsum deo plane consecres.
Dab. Halae d. 13. Martii 1769.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly faded.



78 L 1708

ULB Halle

3


002 390 507



Sb.

Hi. 100.





DISPUTATIO THEOLOGICA
REBAPTIZATOS FVISSE
 DE
QVIBVS AGITVR ACT. XVIII, V.
 CONFIRMANS

QVAM

SVB PRAESIDIO

VIRI SVMMÆ REVERENDI, EXCELLENTISSIMI,
 AMPLISSIMI ATQVE DOCTISSIMI,

IOANNIS SALOMONIS SEMLERI

S. S. THEOL. DOCTORIS ET PROF. PVBL. ORDINARIJ,
 SEMINARIJ THEOLOGICI DIRECTORIS,
 REGIORVM ET HALBERSTADIENSIVM ALVGNORVM EPHORI,

PRAECEPTORIS AC PATRONI

AETERNA PIETATE COLENDI.

DIE . MART. A. R. S. c1010c CLXIX.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

AVCTOR

IOANNES FRIEDERICVS BARTHOLD

BEROLINAS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

EXCVDEBAT IOANNES CHRISTIANVS HENDEL.

